Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift



collectura. Quando autem non pluebat. uictus eius facile uenie
bat. Signum hoc ipsum quod dominus illi ad paucos dies prestiterat. signum
erat futurae uitae ubi merces nostra deficere nescit. ubi farina nostra
dominus erit. Quomodo illa per illos dies non defecit. sic ille non deficiet in
aeternum. Talem mercedem speremus. quando bona facimus. Ne forte aliquis
uestrum temptetur tali cogitatione et dicat pascam aliquem seruum dei
esurientem. ut lagena mea non deficiat. et incuppa mea semper
uinum inueniam. Noli hoc hic querere. semina securus. mes
sis tua seruus ueniet. tardius ueniet. sed cum uenerit finem
non habebit. Qui uiuit et regnat per omnia secula seculorum AMEN.

De elemosinis faciendis. XVIIII.

RECTIO ista fratres quam modo audiuimus de sancto euangelio
ad elemosinas faciendas nos hortatur. et sic hortatur.
ut in iudicio suo dominus has solas factas imputet dextris. has
solas non factas imputet sinistris. non quo cetera facta hominum.
uel bona. uel mala non ueniant in iudicium. Scriptum est enim. om
nia uenturam ad iudicium. et tamen non elegit dominus noster ihesus christus.
pronuntians nobis iudicium suum futurum. non elegit unde nos
admoneret nisi solas ~~animas~~ elemosinas. Nunquid dextris non
erit dicendum. quia caste uixistis. quia res alienas non rapuistis.
quia fidem meam usque ad sanguinem confessi estis. Omnia enim fac
ta ista bona. necesse est honorari in iudicio ihesu christi. Rursus
putatis non esse dicendum sinistris. quia fuistis impudici. quia
fornicati estis. quia res alienas rapuistis. quia superbia uestra et
malis moribus nomen meum blasphemari fecistis. Et cetera queque